

ctus est. Multo minus luce destituitur, qui vtrumque apertum habet, etiam si inconsiderate ambulans, labatur. Sed qui nondum conuersus est, stilo scripturae *caecus* vocatur, *obtenebratus*, *in tenebris sedens*, & *in umbra mortis*. Namque homo *ψυχικὸς ἔδεται*, quae sunt spiritus Dei; immo, *sunt ei stultitia*, καὶ ἔδονται γνώσει, *I Cor. II. 14.*

Verum quidem est, ipsam salutem gratiae, multo minus gloriae, nemini actu conferri a Deo, nisi ad conuersionem vsque fuerit illuminatus, & actu ad Deum fuerit conuersus, seu regeneratus. Ast eiusmodi cognitionem rerum caelestium, quae in homine irrogenito ex scripturae lumine, antequam fidem ipsam concipiat, existit, vocare *minime efficacem*, *minime salutarem*, immo! *mortuam*; contra omnem fidei analogiam dici, mihi omnino videtur.

*Ast eiusmodi cognitionem rerum caelestium &c.)* Cum cognitio hominis irrogeniti, antequam fidem ipsam concipiat, *minime efficax*, *minime salutaris*, immo *mortua* dicitur, non ita hoc est intelligendum, ac si obiectiue & in se spectata, nullam habeat efficaciam, seu potentiam, effectus spirituales producendi, aut salutem homini adferendi, vel vitam spiritualem in eo excitandi. Absit! Numquam mihi eiusmodi quid in mentem venit. Quin potius de impedito eiusmodi cognitionis atque sufflaminato effectu loquor, quod *minime efficax* sit, quia actu propter hominum repugnantiam efficaciam suam exserere nequit; *minime salutaris*, quia actu ob eandem causam illis salutem non adfert; *mortua*, quia actu vitam spiritualem in illis non producit. Nihil itaque hic deprehenditur, quod cum analogia fidei pugnet. Contradictionem contra apertam inuoluit, si dicam, cognitionem istam in hominibus irrogenitis actu vim suam ac efficaciam ad fidei productionem exserere, cum tamen sine fide sint; actu salutarem esse, cum tamen salutem (quamdiu eo in statu permanent) non consequantur; vitam spiritualem in illis operari, cum tamen spiritualiter sint mortui. Videat itaque vir generosus ac summe reuerendus, quo pacto ipsemet haec & inter se, & cum fidei conciliet analogia.

Quo-